Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26827
Copyright: Admont, Benediktinerstift

aliquo bono primo misericordiam dei meruisti, non te preuenit. Quando autem uel intelligis qua preuenit es? non intelligas quod ait apostolus: Quid enim habes quod non accepisti? Si autem accepisti quid gloriaris quasi non acceperis? Hoc est misericordia eius preueniet me. Denique attendens omnia bona quecumque habere possumus siue in natura, siue in instituto, siue in ipsa conuersatione, in fide, in spe, in caritate, in bonis moribus, in iustitia, in timore dei, totum non esse nisi ex illius donis, ita conclusit. Deus meus misericordia mea. Non inuenit implere donis dei quod appellaret deum suum nisi misericordiam suam. O nomen sub quo nemini desperandum. Deus meus inquit misericordia mea. Quid est misericordia mea? Si dicas salus mea, intelligo quia dat salutem. Si dicas refugium meum, intelligo quia confugis ad eum. Si dicas fortitudo mea, intelligo quia dat tibi fortitudinem. Misericordia mea quid est? Totum quicquid sum de misericordia tua sum. Sed promerui te inuocando te? Ut essem quid feci? Ut essem qui te inuocarem quid egi? Si enim egi aliquid ut essem, iam eram antequam essem. Porro si omnino nichil eram antequam essem, si nichil te promerui ut essem. Fecisti ut essem, et non tu fecisti ut bonus essem? Dedisti mihi ut sim, et potuit mihi alius dare ut bonus sim? Si tu mihi dedisti ut sim, et alius mihi dedit ut bonus sim, melior ille qui mihi dedit ut bonus sim quam ille qui mihi dedit ut sim. Porro quia te nemo melior, nemo te potentior, nemo te in misericordia largior, a quo accepi ut essem, ab illo accepi ut bonus essem. DEUS MEUS MISERICORDIA MEA.

EXPLICIT DE PSALMO .LVIII.

INCIPIT DE PSALMO .LVIIII.

TITULUS HUIUS PSALMI aliquantulum prolixus est, sed non terreat, quia psalmus breuis est. Tamquam ergo aliquantulum pluriorem psalmum audiremus, sic intendamus. Quoniam in nomine christi nutritis et nutriendis loquimur in ecclesia dei, nec alienis a sapore litterarum istarum a quibus mundus alienus est, nec quasi rudia uobis semper i[illegible]ta esse debent. Si enim ea que sepissime audistis cum iocunditate in ore cogitationis ruminastis, nec obliuiscentes tamquam in uentre sepelistis, eadem ipsa recordatio uestra et memoria multum nos poterit adiuuare, ne multum loquamur ad enodanda quasi rudibus ea que iam uos nosse nouimus. Certe illud meminimus sepe uos audisse quod dicimus. Christus est ut in psalmis inuenias uoces non christi et ecclesie, aut christi tantum, aut tantum ecclesie, quod utique ex parte et nos sumus, ac per hoc quando uoces nostras agnoscimus sine affectu agnoscere non possumus, et tanto magis delectamur quanto nos ibi esse sentimus. Dauid rex unus homo fuit, sed non unum hominem figurauit, quando scilicet figurauit ecclesiam ex multis constantem, distentam usque ad fines terre. Quando autem unum hominem figurauit, illum figurauit qui est mediator dei et hominum homo christus iesus. In hoc ergo psalmo uel potius in huius psalmi titulo dicitur quedam uictoriosa dauid que fortiter fecit debellando quosdam inimicos suos et eos tributarios faciendo, quando post mortem saulis persecutoris sui illi regnum accepit manifestum in israel. Nam et ante quam persecutionem pateretur rex erat, sed deo tantum notus erat. Postea ergo iam manifestato regno et euidenti